



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Oliva Virg. Mart. 10. Iunii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

10. Iunii. VITÆ SANCTORUM. 367  
versâ de Aureliani sãvitie famâ perculsi.  
Ausi ergo rogare Christum sunt, liceret  
sibi siccâ morte, & incruentâ defungi.  
Datum id quoque, placitâ compositos  
quiete Angelorum manus cælo intule-  
runt. Nihil audies suavius: & tamen fron-  
tem contraxisti, cùm his quoque nega-  
tum audires duobus dominis servire. *Ex*  
*Mombrit. & P. de Natal.*

*Esto humilis, & pacificus & erit tecum*  
*Jesus: sis devotus & quietus, & manebit*  
*tecum Jesus. Potes cito fugare Jesum &*  
*gratiam ejus perdere, si volueris ad exte-*  
*riora declinare: & si illum effugeris &*  
*perdideris, ad quem fugies, & quem tunc*  
*quæres amicum? Thom. à Kemp. l. 2. c. 8.*

S. OLIVA VIRG. MART. 10. Iunii.

**N**obilis virgò fuit OLIVA. Id si cu-  
nis avitis non crederem, monilibus  
crederem, vinculis inquam, quæ anno  
ætatis tertio decimo pro Christo gesta-  
vit, multùm hoc muliebri mundo, &  
quantùm nulla alia virgo, superba. At  
mors, sive ætati hoc, sive generis splen-  
dori dabat, noluit tam pulchram OLIV-  
VAM immaturo fato decerpere. Tyran-  
nus tamen ex oculis patriæ (Panormum  
erat) in exilium transtulit. Nihil minus in  
hoc florere visa OLIVA. quid? quòd cæco  
eidemque pedibus capto cum luce Chri-  
stum ostendit, & ad partes Christa-  
norum

368 VITÆ SANCTORUM. 10. Iunii.  
norum docuit ambulare ; cum alius in-  
tereâ, quod fidem nollet aspicere, oculos  
amitteret. Hos tamen etiam resipiscenti  
restituit, & utrumque ad martyrii cursum  
præmisit, cum ipsa ad eandem gloriam  
feriùs, & ingentibus triumphis grassaretur.  
Etenim flagris cæsa in silvas est relegata.  
Gratulata sunt scilicet sibi hæc de  
OLIVA, sub cuius umbrâ etiam effera ani-  
malia mansuescere, & cum virgine inno-  
xiâ totum septennium agere visa. Intereâ  
homines in feras migrarunt. Nobilis  
enim Juventus dum feras captat, visâ vir-  
gine in retia Veneris se induit. At virgo,  
*An, ait, dubitatis parcere virginitati ho-  
mines, cui vim inferre bestia verentur ?  
aut, qui contra feras me defendit, Deum  
pugnaturum pro me in feros homines, du-  
bitatis ?* Dixit, & nassis expeditos tur-  
pibus, mox martyres cælo transmisit.  
Ipsa etiam superatis denuò flagris & e-  
quuleo : oleoque ab igne bulliente trium-  
phans secuta, gladio secandam cervicem,  
caput coronandum cælo dedit. Nunquam  
pulchrius laurus OLIVÆ se junxit. *Ex  
Ferrario.*

*Nec cedendum nec recedendum, etiamsi  
gravis tentationum feruor utriusque homi-  
nis statum afflixerit : eligamus potius ar-  
dere, quam cedere. S. Bern. serm. 3. de  
Vig. Nativ.*

S. BAR-